



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 80. Causa Joannis Parvi ventilata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

consuetudinem habendam esse pro Lege, cum diutissime esset observata, quapropter non licere eam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare. Quinta affirmant, errare eum, qui hujus consuetudinis observantiam illicitam esse assereret. Sexta denique declarant, eos, qui doctrinam præmissis oppositam tenerent, hæreticos censerì, atque ut tales coercendos ac puniendos esse.

§. LXXX.

Causa Joannis Parvi ventilata.

Monstrelet.
vol. I. c. 36.

Peractis hisce deliberationibus, causa Joannis Parvi Franciscani proposita est, cujus apologia pro Burgundiæ Duce propter patratam Ducis Aurelianensis cædem, & ejusdem propositiones jam in comitiis Cleri Parisiis damnatæ fuerant. Quamvis Carolus VI. Rex Galliæ rebus suis non parum consultum fore perspiceret, si Parisiensis conventus sententia etiam a Constantiensibus Patribus approbaretur, nihilominus secundum lenitatis viam Burgundiæ Ducis causam decidi prooptabat, utpote qui, licet absens, in Gallia plurimum metuebatur. Dux vero veritus, ne causa sua in Synodo caderet, Regem Franciæ sollicitavit, ut legatis suis præciperet, ne suo nomine huic negotio accederent, nec illi patrocinia-

cinarentur, pollicitus, eadem quoque seipsum facturum, suisque Ministris Constantiæ morantibus haud alia daturum mandata. Annuente Rege, uterque suos Legatos juxta hæc conventa instruxerant, qui suorum Principum mandata effectui dare haud neglexerunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. LXXXI.

Epistola Ducis Burgundiæ ad Nationis Gallicæ Deputatos.

Postquam vero circumacto quodam tempore Burgundiæ Duci nunciatum esset, Synodum vehementer urgere, ut propositiones Joannis Parvi damnarentur, Dux ipse ad Concilium, seu ad Nationis Gallicæ Deputatos literas dedit, quibus exposuit, circa damnationem Parisiis factam, censuisse quam plurimos, nequam Joannis Parvi apologiam proscriptam fuisse, sed alium quemdam supposititium partum inimicorum fraude consutum, ipsam vero Joannis propositionem, sive demum vera esset, sive falsa, nonnisi leviter castigatam fuisse; postea rogavit Synodum, ne quicquam, vel suo vel Joannis Parvi nomine, proponi pateretur, absque prævia discussione, & quidem præsentibus Burgundiæ Legatis, nec aures præberent Synodi Patres nonnullis hypocritis, atque impostoribus, qui de Gal-

Gerson. tom. 5. p. 342.